

titudinem. Haec tamen opportune, et discrete suggerantur, ne aegroto molestia, sed levamen afferatur.

45 Religiosis, Doctis, et litteratis Viris, proponendisunt versiculi ex Psalmis, qui plures sunt, et in quocumque libro de assistentia morientibus, praestanda, passim leguntur; et praesertim in Sacerdotal. Brixinen. pag. 203.

46 Rudibus vero Viris, et Foeminis optimum consilium est proponere recitationem Orationis Dominicae, vel salutationis Angelicae, sive Symboli Fidei, per quae in aegroto Fides vivificatur. Insuper invocationem Sanctissimi Nominis Jesu, et Mariae, prout in Vita fieri solet a piis Christi fidelibus.

47 48 Exempla sanctorum Martyrum frequentissima sunt, et valent praecipue si recordentur Infirmis, qui maximis doloribus crucientur in corpore. Laudabilem consuetudinem hic praetermittendam non duco, Scholae nostrae Consolatorum Archiconfraternitatis Mortis, quae dum pium officium praestat consolandi morti damnatos, binos libros, satis vetustos, sed affabre pictos, apertos tenet in mensa, ad quam damnati accumbunt, in quibus libris varii Martyrum insigniorum Cruciatu apparent. Isti tempore opportuno invisendi, et evolvendi ipsis traduntur, piisque verbis carnificinae illae explicantur; ut sic et ipsi mortem hilari vultu subeant, et tormentis aequo animo se submittant, tot insignium Martyrum exemplo.

Advertat Sacerdos, ne nimis frequenter proponendo aegrotis Orationes et meditationes, illis molestus sit. Non omne tempus ad hoc valet: prudentia pii Ministri opportunitatem decernere debet, et iis uti cum moderamine; facile enim nocet frequens allocutio, si praecipue Infirmus capitis dolore crucietur.

§. XV. Consoletur Infirmum, dicens, se pro eo in Missae Sacrificio, et aliis Precibus oraturum, curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant, idque re ipsa praestabit.

50 Gavant. dict. p. 2. tit. 8. lit. p., §. hoc loco, etc. conciliando Doctores dicit, valorem Missae esse infinitum in radice, sed ad impetrandum, et ad alios effectus, finitum in terminis, quia finite de eo omnes participant, minusque, vel magis, pro minori, vel majori devotione cujusque concurrentis ad Missae Sacrificium, S. Th. 3. p. q. 79. art. 4.

51 52 Quenam Missa celebranda sit in hoc casu, satis patet ex ipso Missali Romano, in quo assignatur *Missae pro In-*

*firmis*; et insuper Orationes diversae dicendae in ea pro Infirmis, qui proximus sit morti, vel in agone positus. Aliae insuper sunt magnae efficaciae, nempe illa *de Passione Domini*; vel *de Beata Maria*; *Pro remissione peccatorum*, et ultimo loco non omittenda illa est: *Ad postulandam gratiam bene moriendi*, quam Clemens XI. P. M. approbavit, et celebrari indulsit anno 1706. ad enixas preces Magni Ducis Hetruriae. Plura de Missa infirmorum celebranda affert Manara: *Notti Melanconiche. Interrog.* 197.

§. XVI. Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, aegroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat, et Testamentum faciat. Si quid habeat alienum, restituat, et ad remedium animae suae pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat. Sed haec suggerendo, omnis avaritiae nota caveatur.

53 54 Testamentum ultro, sine causa, omittere, peccatum esse testatur Molin. t. 1. *Just. disp.* 135. quando testari oporteat ad exonerandam propriam conscientiam: ut accideret si aere alieno gravaretur Infirmus, et si hoc authenticis tabellis non exprimatur, creditoribus non solverentur debita aut non sine magno eorum labore, et sumptu.

Pariter grave peccatum esset, intestatum ex hac vita decedere, quando id patefacere necesse esset, quod relictum, grave damnus proximo pararet: Et demum quoties odia, rixae, scandala, simultates, et lites suborirentur, rejecto codicillo, seu Testamento, culpa non mediocris esset, omnia scriptura posthabita, tacitum occumbere.

55 56 Quod si nullus horum periculum adesset, nec similitum, nequam mortali culpa subiaceret is, qui sponte sua, testamento cedere. Quamvis, et recta ratio, et aliorum fere omnium commune, ac tritum exemplum exigat, ut is qui morti proximus est non nihil leget in favorem Animae suae, juxta bonorum, quae possidet, quantitatem, et emergentes circumstantias: nec aliunde certo constat, id sufficienter praestitutum Haeridem, Aulsius d. p. 1. c. 13.

57 58 Verum dum hoc Infirmis suadent Parochi, sive alii Sacerdotes, caveant, ne pro Ecclesia sua aliquid petant, et praecipue legata pia perpetua. Ex hoc enim fit, atque haec potissima ratio est, propter quam familiares, et Haeredes, saepe saepius de die in diem differant in accersendo Parocho, sec Viro Religioso ad Infirmum, timentes, ne per illorum persuu-

sionem, fiat, ut haereditas tota, colorato titulo suffragiorum pro Anima sua ad Ecclesiam perveniat; et sic facultates ab Haerede speratae distrahantur.

Hic opportune scribendum puto aliquid de sepulturae electione, de qua cum Infirmis solent quandoque sermonem habere Parochi, et etiam Regulares. Pauca tamen dicam, sed utilia tantum, et necessaria; quum diffuse de hoc argumento, ad opportunitatem, nuper scripserim in Voto habito, et typis evulgato *Venet. apud Tavernin. 1751. in 4. Patet Canon Bonifacii Papae VIII. et Clementis V. quod habetur VI. Decretal. lib. III. tit. XI. Animarum etc. et in Clementina Cupientes et de Poenis. Quoad liberam sepulturam "Non posse neque Regulares, neque Parochus inducere aliquem ad vivendum, seu jurandum, seu alias promittendum, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, etc.* Ubi notandum, quod Clausula illa (seu alias) apud multos D. D. interpretatur non posse istam inductionem fieri *neque blandis verbis, neque suadendo, neque deprecando, neque hortando.* Quod si secus fiat, incurrit in interminatam maledictionem aeternam. Modus loquendi de sepultura ad infirmos, seu Testatores, est hic: *Vis sepeliri in Parochia, vel in alia ecclesia?* Sed si hanc secundam ecclesiam specialiter nominaret, ista electio tamquam facta per suggestionem nullius est momenti. *Rice. Prae. Tom. 1. Resol 573. num. 2. et Lavor. T. 1. tit. 2. c. 11. num. 3.*

§. XVII. Hortetur denique, ut si convaluerit, ante omnia ad Ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta veletudine, et Sacram Communionem pie suscipiat, ac deinceps meliorem vitae disciplinam teneat.

59 Dignum, et justum est, ut salutis Authori, post salutem adeptam, gratiae, et quidem plurimae reddantur, non tantum verbis, sed opere, quod praestari poterit per Infirmum salutem restitutum, si ad Ecclesiam accedens Sacram Communionem suscipiat: Haec enim antidotum est, quod a novo lapsu reservat Animam, et simul corpus, *Molin. Inst. Cat. 20.*

§. XVIII. Sequentes Preces omnes, vel ex parte, prout tempus, et aegrotorum conditio feret, arbitrio Sacerdotis, dici, vel omitti possunt.

60 Duo hic notantur: Tempus, et Conditio. Tempus erit quando Infirmus non adeo praecipitanter ad mortem acceleret, ut vix pro administrandis Sacramentis tempus habeatur. Conditio vero aegrotorum, erit advertenda hoc modo: Si Assistentes, et pii Religiosi desint, qui Infirmum consolari nequeant, tunc has preces recitare poterit Sacerdos superveniens: Insuper si Infirmus ex se actus pios promat, et Orationibus incumbat, ut Religiosi, et Docti Viri solent, tunc abstinere poterit Sacerdos a recitatione harum precum, et Orationum, ne interrumpat, et distrahat Infirmum ex corde orantem. Caeterum in locis, ubi adsint pii Ministri assistentes, non pigebit has Orationes perlegere, et ubi Infirmus lethargo opprimatur, vel nihil de sua aeterna salute loquatur, optimum consilium erit eas alta voce bis, et ter replicare.

§. XIX. Sacerdos igitur Infirmi cubiculum ingressus, primum dicat: *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.* Mox Infirmum, et lectum ejus, et cubiculum spergat Aqua benedicta, dicens Antiphonam: *Asperges me Domine, etc.*

61 62 63 64 Aulsius *dict. p. 1. cap. 7.* laudat, ut Sacerdos, antequam versiculum *Pax huic domui, etc.* pronuntiet, solerter observet Infirmi motus, actiones, affectus, impetus, et id genus alia, neque repente ad finem, ob quem advenit, erumpat, sed primum consaluter aegrum, et circumstantes moderate, et ex Divina charitate amanter: deinde utatur illis verbis: *Pax huic domui, etc.* quae salutatio conformis est Christi praecepto: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.* *Moth. 10.* S. Paulus enim tanti Magistri insignis discipulus, cum primum Ramanos affatus est, dixit: *Gratia vobis, et pax a Domino Nostro Jesu Christo.* *Rom. 1.* Item S. Petrus inquit: *Gratia vobis, et pax adimpleatur, in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri.*

De Aqua benedicta alias diximus, et suo loco plura dicenda remanent. Aspersio haec, quae fit super Infirmos, vetustissimi moris in Ecclesia est, et mirae efficacitatis ad Daemonis impetum reprimendum, et alia diversa pericula avertenda, *Aulis. d. l.*

§. XX. Deinde erga Infirmum officium suum praestet, ut supra dictum est. Quo praestito, vel antequam discedat, dicere poterit supra Infirmum aliquem Psalmum ex

quatuor prioribus Poenitentialibus, vel Psalmum: *Qui habitat in adjutorio Altissimi cum Gloria Patri* in fine: postea dicat, *Kyrie eleison*,

65 66 Officium, quod praestari debet Sacerdos, seu Parochus erga Infirmum, jam supra dictum est in §§. 7. 8. et seqq. a quibus expeditus, praescribuntur dicendi nonnulli Psalmi: et ideo sunt quatuor priores poenitentiales, quia caeteris magis apti sunt ad Infirmos, et dicuntur *Psalmi miserationis* in veteri Sacramentali Ferrariensi recognito a Joan. Fontana Episcopo anno 160. Psalmus vero *Qui habitat, etc.* est 90. et ideo praescribitur, quia est cohortatio ad fiduciam in Dei auxilium firmissime collocandam, Bellarmin. in *Ps. 90. arg.*

In enim in principio ponitur, et per totum Psalmum variis rationibus confirmatur: Isque ad initium noctis dicitur, ut, Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo, propulsemus.

67 De *Gloria Patri, etc.* alibi diximus significationes litterales, et mysticas. Versiculus iste compositus fuit a Nicaena Synodo, imo ab Apostolis fluxisse probat Baron. *ann. 325.* Nicaenumque Concilium addidisse *Sicut erat, etc.* Additur in fine cujusque Psalmi ex Institutione Damasi, Gavan. *T. 2. sect. 5. c. 4. n. 4. et cap. 8. n. 11.*

§. XXI. Qui sequuntur Psalmi, et Evangelia, cum precibus, pro tempore etiam opportunitate, et aegrotantium pio deciderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt.

68 69 Ad libitum Sacerdotis, et aegrotantis assignantur isti Psalmi, et sequentia Evangelia. Nonnullos ego vidi Religiosos in extremo labore positos maxime gaudere ex Psalmorum auditione; et insigne Antistietm graviter infirmum, ad suum cubile accersisse scio quemdam juvenem Clericum pauperem, sed bene, interpunctateque legentem, ut totum sibi Psalterium quotidie, prope lectulum perlegeret, cum quo de eleemosyna convenit, unius Julii pro quolibet Psalmo (erat enim satis dives) atque ita, donec aeger expiraverit Animam, factum est.

§. XXII. Dum Sacerdos dicit: *Sequentia Sancti Evangelii*, faciat signum Crucis, de more, super se in fronte, ore,

et in pectore, similiter super Infirmum, si fuerit masculus, et is ob infirmitatem non potest se signare,. Si autem fuerit foemina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis praedictis se signet, si potest: si vero non potest, alia

70 Ordo Romanus jubet, ut Sacerdos Evangelium perlegens signet se ipsum. Signa in fronte et pectore fiunt, ut qui se signat, se ostendat Christi discipulum, cujus Evangelium non erubescit, et malas cogitationes de corde pellat, Alcuin. *de celebr. Miss.* De signo in ore, quo confessio Verbi Dei fiat ad salutem, meminit Honor. in *Gemma, l. 1. c. 23.* Pollice vero tantum fiunt haec signa, non cum indice, et pollice conjunctis in formam Crucis, ut aliqui malo autumant. Ita Gavant. *p. 1. Tit. 6. litt. d.*

71 72 Eadem signa fieri debent ab Infirmo si fuerit masculus, et valeat. Secus vero, a quocumque adstante fieri possunt. Si vero fuerit foemina, ab hujusmodi signo super eam faciendo, abstinere debet Sacerdos, honestatis causa: cum enim tangi debeat os, et pectus, non decet, ut manus Sacerdotalis ad illas partes se extendat, praecipue vero ad pectus, eo quia nihil impedit quin mulier tangatur in ore, cum saepe accidat os illi tangere in administratione Eucharistiae, et de necessitate, in Sacramento extremae Unctionis. Tutior regula tamen est, quae a Rituali praescribitur, ut si mulier per se non valeat, hoc praestet alia foemina.

73 74 Quinque Evangelia a Rituali in hoc loco praescripta ad hoc ut legantur super Infirmo; fere omnia ad infirmitatem, et ad salutem pertinent. Primum loquitur de Puerro Centurionis a Christo saluti restituto: Secundum tractat de potestate Apostolis a Christo tradita sanandi Infirmos: Tertium loquitur de Socru Simonis, quae tenebatur magnis febribus; et a Christo sanata fuit. Quartum historiam affert de probatica Piscina, et de Languido ibi jacente, quem Christus ab antiqua infirmitate liberavit. Demum quintum est initium Evangelii S. Joannis, quod in Liturgia S. Petri appellatur *Plenitudo legis, et Prophetarum*: in eo enim de adventu Christi, et de Verbo incarnato satis alte sermo habetur.

Hoc Evangelium in Ecclesia Dei saepius usu venit: illo utimur in conjurationibus contra Daemonem, in fugandis Tempestatibus aereis, et in aliis casibus, eo qui in illo Mysterium Dominicae Incarnationis, quod horrent Daemones, clare exprimitur per illa vere adoranda Verba, *Verbum Caro factum est*; ad quae genuflexio est facienda, ut adoretur illud myste-

rium, et ut exemplo Filii Dei humilietur Homo, Gavant. p. 2. tit 12. litt. a.

§. XXIII. Completa Oratione ultima, Sacerdos imponat dexteram manum super caput Infirmi, et dicat: *Super aegros, etc.*

75 Usus imponendi manus a Christi autoritate, ut alibi diximus, desumptus est, qui in Marc. 16. dixit Apostolis, et credentibus: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Ob varias rationes etiam fit manuum impositio ab Episcopo, prout in Pontificali, etc.

§. XXIV. Postea benedicens Infirmum subjungat, dicens: *Benedictio; etc.* Deinde aspergat eum Aqua benedicta, etc.

76 Benedictio haec diversa est ab illa quae datur in Missa, eo quia est particularis, non universalis, ut ex ipsis verbis clare patet, et instituta est ab Ecclesia, ut inserviat extra Sacrificium, Aulis. *ibid.* Aspersio cum Aqua benedicta demum fit rationibus, et causis jam supra in alio paragrapho adnotatis.

§. XXV. Si fuerint plures Infirmi in eodem cubiculo, vel loco, Preces, et Orationes praedictae dicantur super eos in numero plurali.

77 Quamvis diversae naturae possint esse infirmitates, quae detinent diversos Infirmos in eodem cubili, attamen una benedictio pro omnibus generice valet, cum nulla sit infirmitas, quae ab hujusmodi precibus fugari non possit, per virtutem a Deo illis traditam.

§. XXVI. Quae omnia etiam poterunt, arbitrio Sacerdotis, breviora fieri.

78 Hinc patet, quod istae Orationes, et preces super Infirmum non sunt de praecepto faciendae a Sacerdote, sed quando tempus, conditio, et occasio id ferat: non enim sunt Sacramenta, sed Sacramentalia, ad quorum ministrationem Parochus tam rigore non tenetur, Filiucc. T. 1. tr. 6 c. 5.